



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 64. Quid circa orationes, collectas sive commemorationes in Missa sit observandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**



speciei est de præcepto divino, qui autem sponte distrahitur sub actu à Deo præcepto, peccat mortaliter, inquit *Sanch.* in *Conf.* L. 7. c. 2. dub. 28. n. 8. E contra *Go b* meritò dubitat de tanto rigore, præsertim cùm *J. Sanch.* apud eundem neget laicum mortaliter peccaturum, qui communicaret voluntariè distractus, nam sub tam brevi actione distrahi, ubi non est periculum errandi vel invalidandi Sacramentum, videtur manere intra terminos materiæ levis.

445. §. 3. *Ant. Molina & Cotonus* ita requirunt actualem intelligentiam & attentionem ad omnia, ut putent eum, qui recitaret v. g. *Credo*, & non recitaret significativè, id est, simul non eliceret internos actus fidei per illa verba significatos, peccaturum, quia mendaciter profiteretur se credere, cùm tamen non haberet actum formalem fidei. E contra *Gob.* n. 823. probabilùs dicit & multis argumentis probat sufficere ea dici recitativè seu historicè, nullum enim reperitur præceptum de hoc, ut eliciantur omnes affectus, quos verba continent, præsertim cùm *Missâ* absque hoc sit vera oratio & actus Religionis.

446. §. 4. Pro retinendo animo collecto & excludendis distractionibus facile medium est, si Sacerdos consideret *Missam* tanquam memoriale *Passionis Christi*, considerando singulas actiones veluti repræsentativas alicujus mysterii *Passionis*, uti explicavi L. 3. p. 1. n. 661.

447. Q. 64. *Quid circa orationes, collectas sive commemorationes in Missâ sit observandum.* R. seqq. §. 1. In festis duplicibus & diebus octavis, per se loquendo, tantùm est una oratio, nisi festa occurrant, de quibus addi debeat commemoratio



ratio In semiduplicibus ordinariè sunt tres tantum, nisi plures specialiter faciendæ sint commemorationes, vel addatur collecta ob publicam necessitatem, vel ad altare privilegiatum pro liberatione animæ.

§. 2. Tempore Passionis, item infra Octavas Paschæ & Pentecostes, si occurrat commemoratio de simplici in Missa de tempore, aut die infra octavam, tertia collecta omittitur: In omnibus autem Dominicis infra octavas communiter fit solius Octavæ commemoratio. 448.

§. 3. In Missa de festo simplici (idem est de feriis, exceptâ septimanâ Passionis & Palmarum) dicuntur tres vel quinque vel septem vel etiam plures, sed semper numero impari, Gav. Arnaud. Lohner, quamvis contradicat Guyetus in Heortologia l. 4. c. 21. q. 23. putans hunc numerum imparem non esse necessariò observandum, sed non est recedendum à communi. 449.

§. 4. Quando tertia est ad libitum etiam in semiduplicibus, sumi potest oratio *Fidelium* aut quæcunque alia in Missali, vel pro Vivis vel pro Defunctis tantum, v. g. pro Patre & Matre: etiam ex quibusvis aliis Missis tam votivis quàm aliis: illa autem, quæ est liberè assumpta semper est ultima, exceptâ, *Fidelium*, quæ extra Missam *De Requiem* semper est penultima. Exposito venerabili Sacramento nulla fit Oratio pro Defunctis solis. 450.

§. 5. Præscripta ob publicam necessitatem potest esse tertia ad libitum, vel addi pro quarta. Quòd si tertia sit præscripta, addi debet pro quarta, S. Congreg. 2. Decemb. 1684. Omittitur autem in duplici primæ & secundæ classis, uti habet communior, quamvis *Piscara* admittat



dici in duplici secundæ classis: Idem putat pro privata necessitate addi posse aliquam, & ita peritos respondisse, sed addit melius esse suam necessitatem commendare in *Memento*.

452. §. 6. Potest fieri commemoratio de Ss. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa duplici, quod non fit primæ aut secundæ classis, S. Congreg. 2. Decemb. 1684.

453. §. 7. In privata Missa fit commemoratio, 1. illius, de quo in Laudibus facta est, exceptâ Dominicâ Palmarum & vigiliâ Pentecostes. 2. De feria majore & vigilia, si Missa fit de festo tum occurrente: In festo tamen primæ classis nihil fit de vigilia, nec de festo simplici, nec de die infra Octavam: attamen fit de feria majore, Dominica, die Octava occurrente. 3. In festo Sancti, si ad ejus altare celebretur, licet de eo non fit Officium vel Missa, prima est de illo Sancto; secunda, de quo est Officium; tertia, quæ aliàs erat secunda. 4. In Missa solenni festo secundæ classis non fit commemoratio de simplici.

454. §. 8. Missa, quæ canitur etiam in pagis, censetur solennis, *Lohner*: non tamen si eam etiam in Dominica legat Parochus sine cantu. Missa secunda in Natali Domini, quamvis canatur, & festum sit primæ classis, habet commemorationem de sancta Anastasia, quia Rubrica absolute ita præscribit.

455. §. 9. Quando fieri debent commemoraciones festorum aut feriarum occurrentis, omittuntur collectæ secundariæ festis simplicibus aut semiduplicibus assignatæ, quæ, alioqui, si aliæ non assignentur, sumuntur ex Dominica de tempore,

456. §. 10. Quando officium fit de aliquo festo

B. Vir-



B. Virginis, non fit commemoratio de alio illius occurrente festo, quod inde colligitur, quia sic habet Rubrica Breviarii in Dominica infra octavam Nativitatis B. Virginis, in qua legitur De festo Nominis B. Virginis: si dies immediate sequens post festum Nativitatis sit Dominica, vespere dicuntur integræ de Nativitate sine commemoratione festi Nominis; si autem festum Nominis incidat in diem octavam Nativitatis, faciendum est Officium de Nomine B. M. absque commemoratione Octavæ: Consequenter si festum nominis B. V. transferatur in diem ante festum B. V. de Mercede, pridie fit Officium totum de Nomine sine commemoratione, & alterius diei Officium de Mercede incipit à matutino.

§. 11. Infra Octavas Paschæ & Pentecostes, secunda oratio est *Ecclesie* vel pro *Papa*: tertia non dicitur. Infra Octavas B. V. & omnium Sanctorum, 2. est, *Deus qui corda*: 3. *Ecclesie* vel pro *Papa*. Infra alias octavas, 2. est *concede*, 3. *Ecclesie* vel pro *Papa*, uti & in vigiliis, quæ jejunantur, si fiat Missa de vigilia: Excipe vigiliis Nativitatis Christi & Pentecostes. Quod si in vigilia fieret de festo, v. g. semiduplici, 2. est de vigilia; 3. de tempore.

§. 12. Orationes de tempore sunt: In Adventu, 2. *Deus qui de B. Mariæ*. 3. *Ecclesie* vel pro *Papa*. A Dominica post Octavam Epiphaniæ usque ad purificationem, 2. *Deus qui salutis*; 3. *Ecclesie* vel pro *Papa* post purificationem usque ad diem Cinerum, & ab Octava Pentecostes ad Adventum, 2. *Acunctis*; 3. ad libitum. A die Cinerum ad Dominicam passionis, 2. *Acunctis*; 2. pro *Vivis & Defunctis*. Septimanâ Passionis,

P 2

item

457.

458.



item per Octavas Paschæ & Pentecostes, 2. *Ecclesiæ* vel pro Papa; 3. non dicitur. Post Octavam Paschæ ad Ascensionem, 2. *Concede*, 3. *Ecclesiæ* vel pro Papa. In festis semiduplicibus & simplicibus ab octava Pentecostes usque ad Adventum, & à Purificatione usque ad Quadragesimam, 2. est *Acunctis*; 3. ad libitum. Ab Octava Epiphaniæ ad Purificationem, 2. est, *Deus qui salutis*; 3. *Ecclesiæ* vel pro Papa. A die Cinerum ad Dominicam Passionis, 2. de feria; 3. *Ecclesiæ* vel pro Papa. Ab Octava Paschæ ad Ascensionem, 2. est *Concede*; 3. *Ecclesiæ* vel pro Papa. Octavarum Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Corporis Christi, fit semper Commemoratio, etiam in festis 1. *Classis*, *Rubrica* dicens sic fieri in Missa sicut in Breviario, quod ita habet tit. De Octavis & commemorationibus.

459.

§. 13. Ordo commemorationum in Missa servatur secundum classem, in eadem autem classe servatur ordo secundum dignitatem designatam in Litanis, nisi aliud notetur in Missali. Festum simplex commune toti Ecclesiæ præfertur particulari simplici.

460.

§. 14. Si occurrant eadem die plures collectæ similes dicendæ, mutatur earum altera cum diversa vel ex proprio vel ex communi, ne benedicatur eadem; v. g. si festum sancti Martini incidat in Dominicam 22. post Pentecosten, oratio secreta est eadem, hinc pro S. Martino accipitur de communibus Sanctis.

461.

§. 15. Si infra Octavam propriæ Dedicacionis faciendæ sit commemoratio aliæ Dedicacionis, pro hac accipitur oratio, quæ est pro prima Dedicacione, & omittuntur ea, quæ soli propriæ conveniunt.

§. 16.



§. 16. In oratione *A cunctis* nominari potest quivis S. Canonizatus sub N. Item videtur licere nominare duos, non plures, uti consuetudo Ecclesiæ habet. Addi potest cognomen S. ad distinctionem: si tamen Ecclesia orationem posuerit & non addiderit cognomen, etiam addendum non est à celebrante. 462.

§. 17. Extra Adventum, Quadragesimam & tempus paschale, primâ die cujuscunque mensis: item extra Quadragesimâ & tempus paschale omni die Lunæ loco Missæ conventualis pro defunctis addunt alii orationem, *Fidelium* penultimo loco, nisi isti dies primi impediuntur duplici vel semiduplici, etiam ad libitum, tum enim pro die Lunæ planè omittitur, pro mense autem transfertur in proximam diem non impeditam. Si autem prima dies mensis non impedita sit dies Lunæ, hac die dicendo satisficit utrique obligationi, quia fit, quod præscribitur utraq; rubricâ: sicuti si una lex vellet jejunari primâ die mensis, altera lex vellet jejunari primâ die Lunæ in quovis mense, si prima dies mensis esset Lunæ, & hac jejunaretur, satisficeret utrique legi. Quòd si vigilia incidat in primam diem non impeditam mensis, vel in similem diem Lunæ, secunda oratio est *fidelium*, quia rubrica vigiliam habet tanquam feriam, cum in ea fiat officium de feria, in rubricis enim generalibus Tit. 6. de vigiliis n. 4. dicitur, *Officium vigiliae totum fit de feria occurrente, ut in Psalterio.* 463.

Q. 65. Quando dici vel omitti debeat, gloria aut credo. v. §. 1. Gloria dicitur, quando in Martino dictum est, *Te Deum laudamus: excipe feriâ 2. & 3. Rogationum*; item si Missa non concordet cum officio Horarum, uti in vigiliis, votivis, 464.